

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

EPILEPSIA.

TENTAMEN MEDICUM
IN ANTHROPOLOGIA

EPILIPSIDA

D. GEORGIUS RAYD, S.P.D.

TENTAMEN MEDICUM

IN ANTHROPOLOGIA

GRABER, DOCTUS

EPILIPSIDA

EDITIONE

EXAMINATA ET APPROBATA

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
EPILEPSIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CORNELIUS DALY, A. B.

HIBERNUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

Γεννοεῖτε οὖν, ὅτι ἐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν οὐδὲ τὴν ὥραν ἐν ἧ ὁ Ὑἱὸς τοῦ
Ἀνθρώπου ἐρχεται. MATTH. cap. xxv. ver. 13.

Ut jugulent homines, furgunt de nocte latrones:

Ut teipsum ferves, non expergisceris? atqui

Si noles fanus, curres hydropicus. —

Mista fenum ac juvenum densantur funera: nullum

Sæva caput PROSERPINA fugit.

HOR.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

DEDICATIO.

QUISQUIS,

Vitæ integritate, manibus puris, animo sincero, menteque benignâ, spectatissimus vivit, et semper de amicis optimè mereri gestiens, angustiis, difficultatibusque irretitos, *cane pejùs et angue*, eos deserere fugit; HUIC, Tentamen hocce Medicum, qualecunque sit opusculum, studiorum meorum primitias, exiguumque testimonium quantoperè ejus amore teneor,

SACRUM ESSE PLACET.

SALVE,

SALVE,

VIR egregie, generisque humani lumen atque decus :—Sive glacialis, sive temperata, sive plaga folis iniqui vocabit, me tibi amicissimum atque devinctissimum esse, memoriamque tui gratissimam ;

—————Dum montibus umbræ

Lustrabunt convexa—————

pectore meo non elapsuram, crédas. Quicumquē orbis terrarum angulus te accipit, aut quâcunque de gente originem ducis, nil moror : benignitatis, liberalitatisque tuæ, et in hoc, et in sæculo futuro, præmia debita consequaris. Serus in cœlum redeas, populisque te jam beatis diutissimè interfis.

VALE, et versiculis sequentibus, quamvis inconditis, quæso, te insuper salutatum esse finas.

SALVE bis decies, iterumque, vir inclyte, Salve,
 Gloria magna tui generis, dignare salutem,
 Carmine agresti quamvis, nunc non temnere nostram

QUOT leges veterum, quot spes, quot femina rerum ;
 Quot species generum, quot res, quot nomina regum.
 Quot mala, quot sagæ, quot sunt et in æthere plagæ ;
 Quot muscæ, quot cycni, quot sunt prata Caystri.
 Quot cœli stellæ, quot sunt et in orbe puellæ ;
 Quot certamina Trojæ, et quot spectacula Romæ.
 Quot pisces, quot aves, quot sunt et in æquore naves ;
 Quot vada, quot flores, quot sunt et in hisce colores.
 Quot rami nervorum, et quot sunt stamina florum ;
 Quot porci, quot equi, quot ludunt montibus hædi.
 Quot vivunt fures, quot sunt per gramina mures ;
 Quot CODRI laudes, quot celant PROTEA fraudes.
 Quot sunt virtutes,—tantas tibi mitto salutes.

EDINBURGI dabam, XI^o Calend. }
 Julii; anno ex illibatæ VIR- }
 GINIS partu M,DCCC.

C. DALY.

*Quin etiam subito vi morbi saepe coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat :
Inconstanter et in jactando membra fatigat.*

LUCRET.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

EPILEPSIA.

QUICUNQUE rem aliquam ex integro tractare molitur, aut rem olim malè tractatam, eòque rubigine ævi, densâque caligine submersam, resuscitare, atque in lucem proferre conatur, quasi dux regit examen; et summo nimirùm gaudio afficitur, dum novum opus in animo versat, unde decus atque gloriam etiam apud posteros meritò quidem sperat. Sed mea spes, propositumque, nil tale spectant; quoniam pauca tantum de morbo dicturus sum, quem plurimi, præsertim in hac

A

Academia,

Academia, pro doctoris gradu ante me tractârunt, meliùs, clariùsque fortassè, quàm nunc ego de me promittere possum. Attamen, veteri atque laudabili hujusce loci consuetudini morem gerere cupiens, quæcunque, potissimum ex aliorum, aut meâ ipsius experientiâ, colligere potui, quàm brevissimè de Epilepsia tradere suscipio. Sed priusquam initium faciam, obtreçtatoribus aliquatenus obviam ire volo, quoniam huic hominum generi, dissertationem hanc obnoxiam fore, haudquaquam me latet. Dicent fortassè quod olim celeberrimus poëta, me monitum multùmque monendum esse oportere, ut privatas quæram opes, et tangere vitem quæcunque semel Palatinus recepit APOLLO; ne instar ÆSOPI corniculæ, furtivis nudatus coloribus, moveam rifum. Istos quidem flocci pendo, iisque breviter respondeo, multò facilius esse, scriptorem dentibus atris laceffere, quàm bonam atque puram dissertationem scribere; meque, (ut vineta cædam mea), sicut ingenuum decet, nil furripere cupientem, contra ipsorum malignorum,

norum, aliorumque fortè morem, omnes auctores citaturum, quorum observationibus atque experièntiâ fultus, thesin hanc typis e- vulgare paro. Neque me confessionis hujusce pudet, quùm multorum atque peritorum quidem, si opus sit, exempla proferre possim, quos nunquam puduit in difficultatibus suis a peritioribus auxilium petere, eorumque observationibus partim fretos, opiniones suas confirmare, atque in publicum edere, quoniam unius verò cura quantumvis maxima vix unquam sufficit, vel ad unum morbum describendum; quò magis miranda, vel potiùs miseranda est, nonnullorum arrogantia, qui propriâ experièntiâ atque observatione, dissertationem sese scribere afferunt. Nonnulli, et non immeritò forsan, dicent inconcinna, incompta- que esse verba mea, et vix ad ordinem, qui placet grammaticis, redigenda. Ad hæc tantum respondeo, verba, quæcunque sint, reverà (nisi quæ in ipsis auctorum citatorum verbis traduntur) esse mea, neque aliundè petita, neque pretio empta; meque lectoris benigni veniam

veniam rogare, quoniam a mendis esse immunitia promittere non audeo.—Nunc ad propositum pergam.

DEFINITIO MORBI.

QUI hoc morbo corripuntur, in terram repente concidunt, omni sensu privati, dum interim omnes muscoli convelluntur, et sub finem paroxysmi, alto quasi sopore obruuntur.

DE MORBI NOMINE.

EPILEPSIA ἀπο τῆς ἐπιλαμβάνειν derivari volunt auctores. Sicut enim olim reum lictores improvisò comprehenderunt, sic morbus hic dirus, atque terribilis, miseros, cætera valentes, humi subito prosternit. Ἱερὴν νόσον apud HIPPOCRATEM invenimus*. Nomen hoc inditum fuit, vel quòd veteres a Diis immiffum esse crediderunt, vel quòd omnia magna *sacra*
feu

* De Morbo Sacro, cap. 1, tom. x. p. 475.

feu *divina* appellârunt. Locutionis hujusce multa quidem occurrunt exempla : apud VIRGILIUM, “ *auri sacra fames,*” et apud HOMERUM, “ *εἰς ἄλα διαν,*” et “ *ἱερον ἰχθυον.*” CELSUS, morbum *majorem* appellat*, quod nomen hodie etiam manet, præcipuè apud nostrates, qui dicunt, *an vrotight vore.* Sacri scriptores †, epilepticos *σεληνιαζόμενους*, quasi lunâ percussos, nominavere.

Accuratè notante BOYTONO, æger quidam, nomine Low, in Nosocomio *Mercerieni*, Dublinii, horam circiter quâ plenilunium erat, insultu epileptico sæpius corripitur solebat, cujus ipse, dum in eodem Nosocomio medicinæ studio operam dedi, testis extiti. Ignoscat mihi lector, si supradictis addam, epilepsiam, morbum *comitiam* etiam appellari ; vel quòd præcipuè in Comitibus apud *Romanos* eo morbo homines vexabantur, vel quòd Comitibus in aliud tempus differebantur, si aliquis

* Lib. iii. cap. 23. p. 172.

† ΜΑΤΤΗ. cap. iv. ver. 24.

quis eorum qui aderant, morbo correptus, subito concideret.

HISTORIA MORBI.

VARIA, miraque symptomata, quæ paroxysmi tempore observantur, jam enumerare conabor.

Æger subito humi prosternitur, sensibus internis atque externis penitus amissis, dum interim muscoli totius ferè corporis violentissime convelluntur.

In pessimo, atque periculosissimo morbi genere, nulla signa præmonitoria apparent, sed ægri improvisò concidunt. At hæc ferè signa paroxysmum semper præcedere solent. Caput primò vertigine non admodum magnâ corripitur, scintillæque ante oculos volitare videntur; color purpureus, aut niger, aut iriden* æmulans, apparere etiam videtur;

soni

* ARETÆUS, de Causis et Signis Morb. acut. lib. i. cap. 5. p. 1.

soni infoliti nonnullorum aures percutere videntur, dum alii malo quodam odore, aut sapore oris ingrato, seipfos affici existimant.

Cel. SWIETENUS * scribit sese quosdam vidisse, qui primò scintillam parvam, quæ mox radium solarem, imitari visa est, observare solebant. Omnia quibusdam videntur quasi nebulâ involuta, et caligine hâcce subitò auctâ, concidunt. ARETÆUS † hoc signum vocat *σίνης φαντασίην*. Hic quidem prætermittere non possum, quod ipse sæpe ex epilepticis audivi; foeminam nempe ingenti corpore, truci vultu, rufisque capillis, ad eos accedere visam esse, colaphumque gravem, aut plagam acerrimam, vel genæ, vel tergo impingere,—hæc, finito paroxysmo, in memoriam revocant ægri, omnium obliti, quæ ipso paroxysmi tempore evenerunt.

Quùm insultu jam corripiantur, musculus occipito-frontalis interdum convellitur; stant comæ; supercilia commoventur, deprimuntur,
atque

* SWIETENUS apud BOERHAAV. vol. x. p. 336.

† ARETÆUS, de Causis et Signis Morb. acut. lib. i. p. 2.

atque contrahuntur; oculi fixi, truces atque prominentes videntur; palpebræ convelluntur, et plerumque clauduntur; tunicæ albugineæ tamen earum inter margines frequenter apparent*; labia nunc contrahuntur, nunc producuntur, ita ut *rostrum* æmulari videantur; os utrinque ad aures usque, ferè retrahitur; maxilla inferior a superiore violentissimè diftrahitur; lingua tumida exseritur, et, ni cura maturè adhibeatur, dentibus gravissimè vulneratur, et sæpe etiam laceratur; tum spuma, horrendum! cum sanguine mista ore ejicitur; caput miris modis rotatur, riget collum, et nunc ad pectus, nunc retrò convertitur†; brachia, manus, atque digiti omnimodo agitantur; pollex palmam versus fortiter curvatur, quod paroxysmum violentum plerumque designat.

Ructus, *borborygmi*, vomitiones, fæces, et urina infciè redditæ, partes corporis internas

* SWIETENUS apud BOERHAAV. vol. x. p. 336.

† ARETÆUS, de Caus. et Sig. Morb. acut. lib. i. cap. 5. p. 2.

nas etiam convelli ostendunt. In principio *, pulsus parvus et frequens est; sub finem autem paroxysmi, plenior, sed tardior atque languidior fit. Respiratio quoque turbata, atque laboriosa est; muscoli, quorum ope vox emititur, initio maximè afficiuntur; nam epileptici ferè omnes magno cum gemitu concidunt.

Venæ frontales, atque jugulares præcipuè, sanguine sæpe turgescere conspiciuntur, quia ob respirationem impeditam, in vasa pulmonalia sanguis transire non potest; facies igitur livida, aut ferè nigra fit, sicut in iis qui strangulantur; quod his verbis ARETÆUS aptè designat †: “ Malæ rubent quidem, in augmen-
 “ to autem mali, et faciei livor accidit, cervi-
 “ cis vasa distenduntur, vox ut in strangulatu
 “ aufertur,” &c. Stertor morbum comitatur; spuma non nisi sub finem paroxysmi oritur, sicut ex AURELIANO colligi potest ‡: “ Ante

B “ demissionem,

* ARET. de Caus. et Sig. Morb. acut. lib. i. c. v. p. 2.

† Ibidem.

‡ Morb. Chronicor. lib. i. cap. 5. p. 293.

“ demissionem, fieri per os, atque per nares, “ spumarum fluorem.” Post spumam atque strangulationem quandam, muscoli minùs convelluntur, respiratio fit liberior, cum stercore tamen altoque somno ; et sic tandem finitur paroxysmus. Varia exempla epilepsiæ mirificæ apud SCHENCKIUM * invenientur.

DE EFFECTIBUS.

Ex symptomatis suprâ memoratis constat, cerebrum ejusque vasa maximè lædi atque agitari, ideóque memoriæ defectum, fatuitatem, paralyfin, atque apoplexiam, sæpiùs sequi. Hæc enumerat cel. BOERHAAVIUS † ; de quibus hoc modo loquitur ARETÆUS ‡ : “ Ingenii et sensuum tarditatem, auditûs gra-
“ vitatem,

* Lib. i. p. 103, et seq.

† BOERHAAV. § 1077. SWIETEN. Comment. vol. x. p. 389.

‡ De Caus. et Sign. Morb. diutur. lib. i. cap. 4. p. 29.

“ vitatem, tinnitus et bombos aurium, linguæ
“ titubationem, ratiocinii perturbationem,
“ denique fatuitatem.” Musculis paroxysmi tempore distortis, et violenter agitatis, nervi igitur qui eos intercurrunt sæpe læduntur, unde oriuntur affectiones nervosæ, contractiones, atque deformitates corporis variæ, quæ ad miserorum mortem usque permanent. Inflammatio, et si paroxysmus diu permaneat, aut sæpius recurrat, gangræna, sæpe oriuntur; quia, dum muscoli vehementer convelluntur, vasa sanguifera adeò comprimuntur, ut iter solitum sanguis perficere non possit*.

Quibus autem violentiâ morbi vita eripitur, eorum corpora post mortem, præsertim si tempore paroxysmi tetano universali corripiantur, nigrum vel lividum induunt colorem, præcipuè facies, palpebræ, atque labia; quoniam sanguis, ut suprâ dictum est, qui musculos percurrere non potest, in vasa cutanea, indeque

* SWIETENUS apud BOERHAAV. vol. x. p. 393.

indeque in telam cellulofam, effunditur*. Atque hoc quidem ipse (ni fallor) exemplo illustrare atque confirmare possum; etenim memini ex parentibus (qui, ut multis innotescit, veri amantissimi extitère) me sæpe audîsse, fratrem ante me susceptum, sed nunquam mihi visum, quoniam eum abstulit mors immatura, notam manûs humanæ firmiter impressam post obitum in dorso habuisse, quæ res multos, nimirum causæ ignaros, summâ admiratione affecit. Sed hæc, ut opinor, vera extitit causa: Puer admodum convulsus, ipsius manu sub mortem dorso impositâ, effusionem supradictam penitus impedivit, quoniam sanguis in partem pressam transire non posset; hoc porrò confirmatur a colore naturali partis pressæ, dum spatia circum, interque digitos, nigrum, aut lividum colorem induebant.

Borborygmi, ut antea dictum, partes corporis interiores etiam convelli ostendunt, unde nimirum ventriculus ad vomitiones excitatur; diaphragmate,

* SWIET. apud BOERHAAV. vol. x. p. 393.

diaphragmate, musculisque abdominalibus, violenter convulsis, hepar igitur et vesicula fellis concutiuntur, unde bilis ore admodum copiosè ejicitur. Idem fit de succo pancreatico.

Lympha, cum mucro crasso mixta, ore nari-
busque manat; et semen etiam masculinum,
infciente ægro, violenter ejicitur*.

DE CAUSIS.

PROPTER varias species, formasque hujusce morbi, cel. BOERHAAVIUS tradit†, causas ejus iræ divinæ, carminibus, &c. tribui solere, et, si mihi ita loqui liceat, omnia esse posita εν γενάσι Θεῶν. Nil mirum igitur, si ego, qui parùm quidem experientiæ, multùm autem doctissimis medicis, quorum operibus incumbo, acceptum referre possim, causas epilepsiæ in medio relinquam.

Tamen,

* Ægineta, lib. iii. cap. 13. p. 29. versa

† Aphor. § 1072.

Tamen, quantùm in me est, et quantùm ab aliis, “more, modoque *Matinæ* apis,” colligere possum, eas breviter recensebo.

Quanquam, sectis cadaveribus eorum qui hoc morbo periêre, rei anatomicæ peritissimi*, vix aliquid, quod causam præbere crederent, invenire possent, attamen, ni fallor, omnes in hoc unum consentiunt, morbum aut ex cerebri, aut cerebelli affectione provenire.

Sed obiter mihi notare liceat, nonnullos nec indoctos quidem hæerere, utrum epilepsia causis naturalibus tribuenda sit, necne; nam in *Sacris Literis* legimus, puerum quendam morbo epileptico, vel ei haud absimili, tenero ab ungui laborantem, a Domino nostro *JESU CHRISTO*, sanatum fuisse, corpore ejus diabolum, vel spiritum impurum, ejiciendo. Nonnulli autem, contrà, rem sic intelligunt; puerum tam diu morbo vexatum, subitò sanum evadere, æquè miraculo esse asserunt, ac si reverà diabolum ejiceretur. Sed quibus placet dæmona reipsâ esse ejectum, de hac interpretatione

* *WILLIS*, *Pathol. Cereb.* cap. iv. p. 49.

tione omninò hærent. Contextum igitur citare non alienum mihi videtur* :

“ Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἐπισυντρεχει ὄχλος, ἐπέ-
 “ τίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, λέγων αὐ-
 “ τῷ, Τὸ πνευμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγὼ σοι
 “ ἐπιτασσω, Ἐξελθε ἐξ αὐτῶ, καὶ μηκέτι εἰσελ-
 “ θῆς εἰς αὐτόν. Καὶ κράξαν, καὶ πολλὰ спа-
 “ ράζαν αὐτόν, ἐξῆλθε καὶ ἐγενετο ὡσεὶ νεκρὸς,
 “ ὡσεὶ πολλὰς λέγειν ὅτι ἀπέθανεν. Ὁ δὲ Ἰη-
 “ σοῦς κρατήσας αὐτόν τῆς χειρὸς, ἤγειρεν αὐτόν.
 “ καὶ ἀνέστη. Καὶ εἰσελθόντα αὐτόν εἰς οἶκον,
 “ οἱ μαθηταὶ αὐτῶ ἐπηρώτων αὐτόν κατ' ἰδίαν,
 “ Ὅτι ἡμεῖς ἐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;—
 “ Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τῶτο τὸ γένος ἐν ἐδενὶ δύνα-
 “ ται ἐξελθεῖν εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.”

Discipulis postea rogantibus, cur sibi ipsis spiritum impurum ejicere non permetteretur, respondit JESUS, hoc *precatone* atque *jejunio* tantum fieri posse, neque iis privatim more suo explicavit diabolium non esse ejectum.

Hæc utrinque allata, neque asserere, neque refellere, mihi in animo est; nec me quidem commovebit, quisquis malis ridebit alienis,
 quia

* MARC. cap. ix. ver. 25.—29.; et LUCÆ, cap. ix. ver. 42.

quia mihi fortè occurrit de hac re mentionem facere. Rem tantùm narro, et de eâ ut epilepsiæ causâ, ad libitum judicent periti. Non me latet, eos qui Sacras Literas veluti fabulosas spernunt, hanc theseos meæ partem penitùs rejecturos.

DE CAUSA PROXIMA.

CULLENUS, vim cerebri affectam esse, indèque morbum provenire dicit* ; at quomodo hoc efficitur, inter alios doctissimos, dubitat, vel potiùs ignorat vir celeberrimus.

Tamen, eum rectè judicare ex eo constat, quòd muscoli, qui nervis originem maximâ ex parte in cerebro, et partim in medullâ spinali, habentibus, mobilitatem debent, violenter convelluntur, dum sensus interni, atque externi penitùs evanescunt.

Perstante igitur paroxysmo, causam proximam, aut immediatam in cerebro positam esse patet, causam autem excitantem, aut *procatartica*m, in aliis corporis partibus domicilium habere

* CULLEN'S Practice of Physic, vol. iii. p. 349.

habere posse, sicut infra pleniùs dicetur. Itaque, ut loquuntur medici, quùm sensus, sicut paulò ante dictum, depraventur, sensorium commune morbo laborat, dum vis, quæ musculos excitare solet, insciente animo, motus violentissimos edit.

Sensoria quidem variè afficiuntur; etenim dum alii morbum fugiunt, alii, eâdem causâ remotâ adhibitâ, miserè affliguntur; rustici, ex. gr., quorum sensoria sunt dura, atque rigida, huic malo minùs serviunt, quàm virgines teneræ, atque delicatulæ, quarum sensoria mollia, atque minùs firma, summam tenent irritabilitatem.

DE CAUSIS REMOTIS.

CULLENUS *, quem in hac parte potissimùm sequi volo, causas occasionales dupliciter agere affirmat. Imò, Quæcunque vim cerebri excitant, per *Excitamentum* morbo ortum præ-

C

bere

* CULLEN'S Practice of Physic, vol. iii. p. 182.

bere dicit. 2dò, Quæcunque hanc vim minuunt; per *Collapsum* morbum inducere afferit. De hoc posteriore modo, auctores ferè omnes silent.

EXCITAMENTI CAUSAS,

HAS quatuor sequentes enumerat: I. Quodcunque cerebrum mechanicè stimulat; II. Aut vi quâdam chemicâ agit; III. Quùm aliquid mentem agitet, aut stimulet; et IV. denique, Quùm cerebri vasa nimio sanguine, aut fluido seroso distendantur. De his singulis pauca in ordine dicam.

CAUSÆ MECHANICÆ

PROVENIUNT aut ex vulneribus, quæ altè penetrant, cerebrumque lædunt, aut ex offibus quibusdam acutis, quæ vel intùs crescentia, vel e fractâ cranii parte orta, gravem dolorem primò, et deinde epilepsiam, gignunt. Quæ de his dicit cl. BURSERIUS hìc subjungere vòlo*: “ Anatome, in eorum, qui ex hac
 “ obierunt,

* BURSER. vol. iii. 4to.

“ obierunt, cadaveribus, sæpe cerebrum in-
“ venit callosum, aut flaccidum, aut corrup-
“ tum, aut in ejus ventriculis serum effusum,
“ aut in meningibus innata officula, aut in
“ calvariâ exostoses.”

CAUSÆ CHEMICÆ

SUNT, quæ lædunt, lymphâ quâdam acri,
et fœtidâ, ichore, pure, aut sanguine in cere-
brum effusis, ibique permanentibus, donec
nervi adeò stimulentur, aut comprimantur, ut
totius corporis muscoli convellantur, morbus-
que verè epilepticus evadat. Atque in hoc
loco, mihi subjungere liceat, quod ipse de hac
re didici, atque oculis signavi. Secto capite
MICHAELIS Low, de quo suprâ mentionem
feci, partim ascite, partim epilepsiâ laborantis,
multùm fluidi subflavi atque serosi, in cerebri
ventriculis inventum fuit.

CAUSÆ MENTEM STIMULANTES.

QUÆCUNQUE mentem vehementer movent,
atque stimulant, epilepsiam plerumque indu-
cunt.

cunt *. Inter hæc præcipuè locum habent ira et gaudium : Hoc, ut inter omnes constat, vim cerebri maximè commovet ; illa autem dupliciter vim exercet suam ; non solùm etenim agit, eodem modo quo gaudium, verùm etiam vasa sanguifera magno-perè agitat, sanguinemque igitur fortiter impellit, præsertim cerebrum versus, quod itaque nimio sanguine distentum causam epilepsiæ præbet. Huc fortassè non malè pertinet, quod dixit poëta † :

- “ —————Pavor est utrique molestus ;
 “ Improvisa simul species exterret utrunque :
 “ Gaudeat, an doleat : cupiat metuatne ; quid ad rem ?
 “ Si, quidquid vidit melius pejusve suâ spe,
 “ Defixis oculis, animoque et corpore torpet.”

Causis supradictis mentem stimulantibus haud immeritò adjungitur alia causa, quæ fortassè non minùs valet, conspectus nempe eorum, qui hoc morbo laborant ; omnes namque auctores consentiunt, morbum hoc modo

sæpe

* BURSER. vol. iii. 4to.

† HOR. lib. i. epist. 6. ver. 10. et seq.

sæpe inductum fuisse ; et hujusce rei testimonium mihi perhibere licet.

PATRICIUS DALTON, æt. xxx., ascite affectus, per tres annos antequam in Nosocomium *Mercerense* receptus esset, morbo comitiali, subindè adhuc etiam recurrente sæpius corripitur solebat. Anno superiore, quoniam ad id tempus, Nosocomii alumnus fui, hunc hominem paroxysmo epileptico vexatum vidi ; et, sicut ipse, uxorque affirmârunt, morbum primò contraxit, dum quendam hoc malo cruciatum conspexit. Omnes itaque, qui corpore sunt parùm valido, aut delicato, sexus imbecillior præsertim, ut rectè notare solet BOYTONUS*, e conspectu paroxysmi epileptici, aut hysterici amoveri debent. Quâ ratione autem morbus hoc modo inducitur, explicare non tentabo, et vix quidem meum esse puto. In medio igitur relinquam.

His fortassè subjungere par est aliam causam, quæ epilepsiam veram sæpe gignit ; et hæc est *epilepsia simulata*, de quâ omnes ferè auctores mentionem faciunt.

DE

* In prælect. clin.

DE CAUSA EXCITAMENTI PER NIMIAM DISTENTIONEM.

CULLENUS * distentionem hanc epilepsiam inducere affirmat, quia sectis cadaveribus hoc morbo peremptorum, cerebri vasa sanguine turgida reperta sunt; unde interdum facile rumpuntur. Sed nonnulli volunt hoc contingere in ultimo paroxysmo, qui mortem inducit, et nil tale antea existere. Quod autem cum CULLENO facit, ni fallor, proferre possum.

ALICIA STRONG, æt. XXII., innupta, vi^{to} Aprilis, M,DCC,XCIX, febre post mercurium laborans, in Nosocomium *Mercerense* intromissa est; morboque brevi excusso, nisi quod de cephalalgia quæstæ est, decimo post die, quum jam Nosocomio excedere parasset, paroxysmo, ut videtur, verè epileptico correpta, horâ ferè quintâ matutinâ, auras carpsit supremas. Quæ autem secto capite apparuere, ipsius Professoris BOYTONI verbis edere æquum mihi videtur, quoniam tum ei ægrorum cura commissa fuit:

“ Subitò

* CULLEN'S Practice of Physic, vol. iii. p. 173.

“ Subitò et improvifò concidit; multùm
“ fpumæ levis ore ejecit; fecto capite, pars
“ duræ matris minima, juxta cerebellum, le-
“ viter inflammari videbatur, et adhærere.
“ Intra ventriculos mira quantitas fanguinis
“ atri, coagulati; in finiftro, offam referentis
“ organizatam, reperta eft. Cætera omnia
“ fana.”

Vix probabile videtur, tantùm fanguinis coagulati, paroxyfmo brevi in ventriculos effundi poffe, et chirurgus MACKLINUS, vir quidem doctus, atque fagax, inter fecandum affirmavit, offam fupradictam haudquaquam fubitò collectam fuiffe, ideóque in ventriculo aliquamdiu extitiffe. Haud alienum fortaffè videatur notare, mulierem hanc nunquam antea, quoad reperiri poffet, paroxyfmo epileptico laborâffe; et catamenia, per tres menses ante obitum, defiderata fuiffe.

CAUSÆ EPILEPSIÆ PER COLLAP-
SUM.

CULLENUS * sex causas generis hujusce recenset. I. Quùm vis cerebri hæmorrhagiâ, aut aliâ causâ syncopen inferente, imminuta fit. II. Si quis mali instantis, aut futuri timore, aut terrore, subito afficiatur. III. Si rei cujuspian ingratae odium magnum subito excitetur, quod frequenter ex aliorum periculo, aut dolore, originem ducit. IV. Odores quidam sæpe syncopen, indeque epilepsiam, gignunt. V. Venena quædam, quoniam vim narcoticam, et sedantem plerumque habent, per *Collapsum* morbum inducere creduntur. VI. Sensatio quædam, quæ *aura epileptica* dicitur, morbum etiam sæpe inducit. Sic de affectione hâcce loquitur GALENUS †: “ A parte aliquâ corporis incipit affectus, qui deinde, sentiente ægro, ad cerebrum

“ brum

* CULLEN'S Practice of Physic, vol. iii. p. 173.

† De locis affect. lib. iii. cap. 11.

“brum usque ascendit.” Ex his verbis igitur colligi potest, fomitem epilepticum in variis corporis partibus esse positum, causâque occasionali adhibitâ, facile accendi.

Auctores plerique hoc ferè modo de *aurâ epilepticâ* loquuntur. Ægri sentiunt aliquid quasi rependo caput petere, ex quâcunque corporis parte, quæ primò afficitur, crure, femore, brachio, aut quâvis aliâ parte. Flamen quasi frigidum interdum ascendere sentiunt; et rursùs aliquid fluidum distinguere videntur. Interdum sensum habent quasi formicarum sub cute caput petentium; interdumque nil planè de sensatione discernere possunt. Capite autem tandem correpto, subitò concidunt.

Hæ sunt causæ occasionales præcipuæ, in quibus omnibus, CULLENO doctissimo cum cel. BOERHAAVIO convenit. Huic autem sicut illi eas in ordinem redigere non placuit. Ultimæ duæ, quibus à CULLENO *Collapsus* tribuitur, ad *Excitamentum* fortassè referri videantur; at quoniam viro sagacissimo causas

ita discriminare placuit, eum sequi volui, nullâ mutatione factâ.

Exemplum epilepsiæ per *Collapsum*, ex casu sequenti fortassè colligi possit.

MICHAEL ROBINSONUS, æt. XXVIII, XIII^{ti} Junii, M,DCC,XCIX, in Nosocomium *Mercerienne* intromissus est. Anorexiâ, macie, et debilitate summâ confectus, paroxysmis verè epilepticis tandem correptus est, cum spuma oris, violentâque manuum contractione. Huic misero paroxysmi tempore ipse adfui, operamque unâ cum aliis dedi, ne violentiâ morbi seipsum perderet.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

CAUSIS remotis occasionalibus enumeratis, nunc de prædisponentibus pauca dicere volo. Et ad hoc, par fortassè videatur hîc distinguere causas remotas prædisponentes, à causis remotis occasionalibus. Causa remota, quæ corpori post paroxysmum adhæret, vocatur prædisponens ;

prædisponens ; hæc latet, neque ullum effectum edit, donec causa *procatarctica*, aut occasionalis supervenerit ; tum enim epilepsiam inducit. Ita, altera alterius ope indiget, neutraque per se morbum producere potest. Causæ prædisponentes, secundum CULLENUM*, sunt, I. Mobilitas quædam, tam animi, quam corporis, quæ ex nimiâ *irritabilitate* provenit. II. Debilitas. III. Plethora. IV. Somnus.

DIAGNOSIS.

Si omnes muscoli sine animi imperio convellantur, sensusque omninò evanescant, epilepsia reverà adest. Hoc modo à paralyfi differt, in quâ musculorum vis penitus ferè sopitur, sensus autem, sicut ex BOERHAAVIO colligimus, aliquatenus manet. A catalepsiâ dignoscitur, quòd in hâc, etiam si nullum sensûs vestigium permaneat, corpus tamen eundem retinet statum, quem habuit, quùm primo insultu

* First Lines, vol. iii. p. 200.

fultu correptum effet. Quomodo autem eam ab apoplexiâ distinguit BURSERIUS, ipsius auctoris cel. verbis edere æquum mihi videtur * :
 “ Epilepsia verò, ratione sensûs animalis pe-
 “ nitùs intercepti, maximam habet cum apo-
 “ plexia affinitatem : candens quippe ferrum
 “ cuti impositum ab epileptico non sentitur ;
 “ ab apoplexiâ tamen discernitur, quòd in
 “ illâ, nempe epilepsiâ, totum corpus, si per-
 “ fecta est, convellitur, inconditisque moti-
 “ bus exagitur.”

Confitendum tamen est, apoplecticos interdum sub mortem maximè convelli † ; at in his, epilepsia apoplexiam tantùm sequitur. Operæ pretium sanè est curam adhibere, ut eos reipsà hoc morbo laborantes dignoscere possimus, ab hominibus improbis, qui ad misericordiam movendam, ut pecuniam in trivijs extorqueant, seu aliam ob causam pravæ indoli obedientes, affectione epilepticâ sese vexari simulant. Haudquaquam tamen difficile est

* Vol. iii. 4to.

† Vid. SWIETEN. apud BOERHAAV. vol. x. p. 329.

est in hac re verum perspicere ; nam si, tempore paroxyfmi, candens ferrum cuti impostum, aut alium dolorem sentiant, morbum proculdubiò fingunt. Improborum astutia optimè innotescet, ut rectè notat professor noster RUTHERFORDUS*, si nares atque oculi potissimùm propriis stimulis tententur.

PROGNOSIS.

SECUNDUM cel. BOERHAAVIUM epilepsia sæpè est hæreditaria ; et inter omnes medicos, ni fallor, hanc morbi speciem immedicabilem esse convenit ; causa etenim latet, neque potest aliquis, quamvis sagax, causâ incognitâ, rectam medendi rationem inchoare.

Epilepsia *idiopathica*, ut loquuntur medici, vix medicabilis esse videtur ; namque in hac, nullum paroxyfmi signum (*μηδέν προσεμαίνον*, ut ait HIPPOCRATES) apparet, quoniam et causæ occasionales, et prædisponentes in ipso cerebro sedem habere videntur.

De

* In prælect. clin.

De hac morbi specie, sic loquitur CÆLSUS * :
 “ In eodem morbo, si simul totum corpus af-
 “ ficitur, neque antè in partibus aliquis ve-
 “ nientis mali sensus est, sed ex improvise
 “ concidit, cujuscunque is ætatis est, vix
 “ sanescit.”

Alicujus corporis partis affectio, quæ paulatim ad cerebrum tendit, epilepsiam inducit, quæ apud medicos *sympathetica*, aut *deuteropathica* appellatur ; et hæc sæpe medicabilis esse videtur, cognito enim semel fomite, remedia adhibentur, quæ vim morbi crescentem cohibere possunt.

RATIO MEDENDI.

QUONIAM ex supradictis constat hunc morbum variis causis tribuendum esse, nulla medendi ratio usurpari potest, nisi priùs causa quæque cognita sit, quæ ex variis ægrorum symptomatis colligenda est.

Quùm

* Lib. II. cap. viii. p. 72.

Quùm ob nimiam aciditatem primarum viarum, infantes hoc morbo laborare videantur, tum optimè subministrantur remedia, quæ hanc aciditatem corrigunt, et quàm citissimè expellunt. Si vermes, lumbrici teretes, dentitio, aut virus contagii alicujus, causam præbeant, remedia causæ unicuique propria usurpanda sunt; de quibus singulis vix meum esse videtur hìc mentionem facere.

Atque hìc tamen, de curatione *auræ epilepticæ*, de quâ suprâ, pauca tradere conabor.

Quandocunque locus, à quo incipit *aura*, designari potest, aut cultro, aut *caustici potentialis* ope pars penitùs exsecanda est; quùm autem tutò hoc fieri non possit, fonticulis, atque vesicatoriis tentanda est medela.

Si hæc parùm valeant, et si affectio ex nervi alicujus extremitate, originem ducere videatur, nervus hicce persecandus est. Si nullo modo innotescat, quânam in parte præcipuè sedem habeat *aura*, vinculo adhibito supra membri partem, quæ primò affici percipitur,

cipitur, paroxysmus sæpe cohibetur, morbus autem non removetur.

Oblatâ jam occasione, rem, quamvis plerisque cognitam, hîc narrare, non alienum mihi videtur.

Fœmina quædam, triginta et octo annos nata, per duodecim annorum spatium morbo comitiali laboravit. In principio, paroxysmum semel tantum in mense, at postea paroxysmos violentos, quater, aut quinquies quotidie, passa est; unde, segnitie, atque stupiditate capta, domestica munia diutiùs exequi non posset; et quanquam remedia multifaria adhibita essent, morbus tamen indies gravefcebat. Ab imâ parte musculorum gastrocnemiorum, paroxysmus semper incipere solebat, unde, capite statim correpto, concidebat violenter convulsa cum spumâ oris. Medicus, qui paroxysmi tempore aderat, crure affecto cum sano comparato, quamvis nullum discrimen discernere posset, scalpellum tamen audaciter ad duorum pollicum altitudinem adegit; imâque vulneris parte, tumorem durum, cartilaginis

tilaginis instar, aliquantò cicere majorem, nervoque superimpositum, invenit; quem à musculis separatum, nervo secto, excerpfit. Quod quùm factum esset, ægram paroxysmus statim reliquit; sese bellè habere dixit; vigore pristino et animi, et corporis, recepto, morbus terribilis eam nunquam postea revisit*.

In universum, medendi ratio duplex est, perfecta, nempè, atque imperfecta; quarum hæc, causam occasionalem tantùm, illa autem prædisponentem removere potest. Sed difficillimum sanè esse videtur, causam illam prædisponentem delere; utpote quæ aut ex affectione hæreditariâ, cranio malè conformato, terrore matri injecto, aut quæ denique ex obstetricis temeritate, sæpe provenit †.

Aliæ etiam causæ prædisponentes adeò latent, ut medicorum peritissimi dicere non audeant, quænam, aut cujus generis sunt, aut quamnam corporis partem præcipuè occupant.

E

Quùm

* Medical Essays, vol. iv. No. 27. p. 416., à SWIET. cit. apud BOERHAAV. vol. x. p. 438.

† SWIET. apud BOERHAAV. p. 411.

Quùm res igitur ita se habeat, remedium quamvis incertum tentare malunt, quàm nullum, idque sese adhibere putant, si conditionem corporis ullo modo mutare possent.

HIPPOCRATEM igitur sequuti, solum, atque diætam ægros mutare jubent; quia ille, medicorum lumen, notavit, omnes hoc morbo liberari, quùm ad pubertatem pervenissent; tum etenim corporis conditionem magnoperè mutari solere. His verbis rem designat* :

“ Τα επιληπτικά ὀκκοιοισι προ της ἡβης γινεται, μετα-

“ σασιν ἰσχει. Ὀκκοιοισι δε πεντε και εικοσι ετεων

“ γινεται, τετριοισι τα πολλα ξυναποθνησκει.” Mul-

ti etiam, aliis morbis supervenientibus, epilepsiâ liberantur. Medici jam recentiores his rebus adducti, morbi fomitem cathartidis, atque emeticis fortibus, aliquatenùs mutare conati sunt.

TRALLIANUS in pertinaci, atque diuturnâ morbi specie, helleborum album dare solebat†.

Hydrargyrum, stibiumque, eâdem de causâ, adhibita fuisse invenimus. Moschum HOFF-

MANNUS,

* Aphor. vii. § 5.

† Lib. i. cap. xv. p. 75.

MANNUS*, atque etiam cel. SWIETENIUS †, feliciter, ut ait ipse, dare solebant. Longinqua itinera, longæque navigationes, ad hanc mutationem efficiendam, à doctissimis multùm laudantur.

Quoniam inter causas prædisponentes suprâ enumeravi mobilitatem quandam tam animi, quàm corporis, quæ plethoræ aut debilitati tribuenda est ‡, de ratione his medendi pauca tradere conabor. Aliis omiſſis, plethora exercitio viribus ægri accommodato, victuque tenui præcipuè, sæpe etiam fonticulis, interdum, non autem semper, sanguinis missione cohibetur.

Debilitas coërcetur frigore aëris modico, balneo frigido, exercitio. Mobilitas, quam inducit debilitas, tonicis, atque antispasmodicis corrigitur. CULLENUS terrorem, astringentia, et balneum frigidum, inter tonica recenset §. Viscus quercinus, ob vim astringentem, summis

* Medic. Rational. tom. iv. par. 3. p. 23.

† Apud BOERHAAV. vol. x. p. 413.

‡ CULLEN'S Practice of Physic, vol. iii. p. 204.

§ Ibidem, p. 216.

summis laudibus olim efferebatur; sed CULLENUS nullum fructum ex eo seipsum vidisse affirmat. Cortex Peruvianus inter alia tonica præcipuè laudatur, si modò largiter, et sub accessum paroxyfmi, adhibeatur.

Stannum, atque arsenicum sub variis formis, commendantur; ferrum autem tutiùs, meliùsque fortassè exhibetur; sed cuprum ammoniacum nunc dierum maximè celebratur, quod tamen frustra adhibitum vidi. Flores zinci etiam multùm valere dicuntur. Argentum nitratum nuperrimè datum est, sed sæpe cum eventu parùm felici, sicut professor noster, HOMIUS junior, testatur*. Si morbus plethoræ tribuendus sit, tonica omnia supradicta vix profunt, imò nocent. Radix valerianæ sylvestris, ut et moschus, de quo suprà, ob vim antispasmodicam laudantur. Utrùm autem opium, antispasmodicorum efficacissimum, in epilepsiâ administrare oporteat necne, medici certant,

* In prælect. de Mat. Med.

tant, atque adhuc sub iudice lis est. Hæc de antispasmodicis dicere sufficiat, quoniam omnia enumerare, longum, et vix utile esset.

Medendi rationem, quæ ad causas occasionales pertinet, imperfectam esse suprâ dixi, nam etiam si hæ removeantur, causæ prædisponentes attamen manent, curationemque igitur imperfectam reddunt. Quoniam autem causas occasionales præcipuas suprâ recensui, hoc sufficiet de iis medendi ratione; nam cum semel innotescant, haud difficulter evitari possunt.

Haud inutile fortè videatur, hinc obiter attingere, quomodo tempore paroxysmi tractandus sit æger. In primis cavendum est, ut quàm minimâ injuriâ afficiatur; in cathedrâ magnâ meliùs, tutiùsque fortè, quàm in lectulo, ponitur; omniaque removenda sunt, quibus casu illidatur.

Suber, aut aliquid tale, filo vinctum, ut ad libitum extrahatur, dentibus interponi debet, ne lingua vulneretur, quod miseris plerumque accidit; linteolum involutum in hunc
usum

ufum melius effe affirmat RUTHERFORDUS nofter *.

Membra convulfa leniter extendere oportet, nam fi vis adhibeatur, præfertim ægris teneris, atque minùs fortibus, mufculi atque ligamenta violentiâ læfa, magnis cruciatibus poftèa affici folent; unde ARETÆUS † benè monet, ut partes, quæ convelluntur, manibus leniter demulceantur, oleo fricentur, membraque molliter cohibeantur, ne paroxyfmi tempore diftorqueantur. Acribus etiam remediis nares irritare, periculofum effe videtur; nam fternutando caput maximè concutitur, unde periculum fit, ne cerebri vafa, antèa turgida, nimiâ diftentione difrumpantur.

Paroxyfmo finito, ægris jam imbecillibus, fegnibus, atque ftupidis, remedia præbere oportet, quibus languentes miferorum animi excitentur. Hæc enumerare vix opus eft.

Ex variis, dirisque hujufce morbi fymptomatis fuprà memoratis, fortaffè conftabit, cur
remedia

* In prælect. clin.

† Morb. acut. lib i. cap. v. p. 84.

remedia, tàm fœda, quàm superstitiosa, in curationem olim usurpata fuerant. Pauca ex his tradere volo, nequaquam ut vires meas in scribendo ostentarem, neque ut dissertationem hancce longiorem redderem, nugis addendo pondus ; sed reverà eo animo inductus, ut, iis etiam qui medicinæ studio nunquam incubuere, facilè innotescat, quàm vana, inutilia, verâque ratione indigna sint hæc remedia, quæ ob fœditatem barbaros etiam horrore, ob stoliditatem sapientes pudore afficerent. Hoc apud CELSUM* legimus: “ Qui-
 “ dam jugulati gladiatoris sanguine poto, tali
 “ morbo se liberaverunt, apud quos miserum
 “ auxilium tolerabile miserius malum fecit.”

ARETÆUS † idem remedium adhibitum sese vidisse affirmat ; utrùm autem ægri morbo liberati fuere necne, compertum non habuit.

Adolescentem, virginemque ætate provec-
 tam, hoc morbo laborantes, sanguinem juvenis
 necati, eodem die haussisse memorat TUL-

PIUS ;

* Lib. iii. cap. xxiii. p. 174.

† Morb. Diuturn. lib. i. cap. iv.

PIUS * ; morbum autem hoc remedio execrabili augeri potiùs, quàm imminui.

Si talia remedia epilepsiam unquam levâssent, id nullo modo effectum est, nisi horrore, qui, ut antea dixi, corporis conditionem mutare, atque ita causam prædisponentem remove possit. Sed in exemplo supra allato, horror, quamvis quidem magnus, sicut idem tradit auctor, nullum in morbi curationem effectum edidit. Hepar humanum, crurum medullam, infantum cerebra, craniumque violenter morte mulctati in pulverem redactum, hæc omnia, nefandum ! usurpata fuisse invenimus. De quibus sic loquitur PLINIUS † : “ Quis ista invenit ostenta ? tecum enim res “ erit everfor juris humani, monstrorumque “ artifex,” &c. Pulvis etiam ex unguâ Alces, ob vim antepilepticam celebrata fuit ; de quâ, et de hoc animale, consule cel. SWIETENIUM ‡.

Traditur

* Observ. Med. lib. iv. cap. iv.

† Hist. Natur. lib. xxviii. cap. i. p. 683.

‡ Apud BOERHAAV. vol. x. p. 445.

Traditur, (fit fides penes auctores), Alcen insultu epileptico correptam, unguâ anteriore pedis dextri in aurem infertâ, paroxyfmo statim liberari; sed ex multis auctoribus, anatomisque peritis, patet, Alcen fibipfi hoc modo mederi non posse, ob nimiam crurum rigiditatem. Atque ad hoc, lectori haud ingratum fortè videatur, quod de hoc animale his verbis scribit CÆSAR * : “ Sunt item, quæ
“ appellantur Alces. Harum est confimilis ca-
“ preis figura, et varietas pellium; sed magni-
“ tudine paullò antecedunt, mutilæque sunt
“ cornibus, et crura sine nodis, articulisque
“ habent, neque quietis caufsâ procumbunt;
“ neque si quo afflictae casu conciderint, eri-
“ gere sese aut sublevare possunt. His sunt
“ arbores pro cubilibus,” &c.

Ungula autem vim amittere creditur, nisi, die anni certo, animale vivo, securi exsecetur. Alia magis ridicula prætermitto. Quis, nisi mente captus, credere potest, hæcce futilia, aliaque ferè innumerabilia, epilepsiæ, cujus
F cunque


* Lib. vi. § 25.


cunque fit speciei, aut quâcunque de causâ proveniat, mederi posse; præsertim si varias hujusce morbi causas, quarum præcipuas suprâ memoravi, secum in animo ritè revolvat?

Quicunque igitur remedium univèrsale antiepilepticum ex hisce, aut talibus nugis sese habere sperant, aut decipiuntur ipsi, aut alios decipere volunt.

Quoniam igitur remediis hisce specificis, ut vulgò vocantur, nullum inest commodum; cur non infamiâ, atque dedecore notantur empirici, qui ea extollere audent? Non ita quidem est, nam pro his, quæ reipsâ merentur, honorem, atque lucrum affectant. Operæ pretium sanè est cognoscere, quomodo agunt, quantoque astu negotium tractant. Si etenim morbus vim spontè remisit, (quod quidem sæpe accidit), nullusque paroxysmus diu recurrerit; hoc statim suis remediis tribuunt: Si autem contrâ, morbus remanserit, (quod frequentiùs fit), aut indies gravescere cœperit, culpam in ægrum transferunt, utpote qui imperata perficere non curavit; nec verò mirum, hujuscemodi

hujuscemodi enim mandata misero dant:— Vestimentum nigrum ne induas, hoc malum; super pelle caprinâ neque decumbas, neque eam geras; nec pedem pedi, nec manum manui superimponas; neque pollicem dextræ pollicem finistræ priùs attingere finas: Limites agri tui per spatium trimestre temerè ne transeas, agrumque tribus circumscriptum angulis intrare fugias; crura transversè ne jaceant, nec die Lunæ, nec die Veneris radere audeas; nec aliâ aquâ laventur facies manusque, quàm eâ, quæ limitem agri tui præterfluit: hæc etenim omnia curationem impediunt.—Hæc quidem, multaque alia, miseris mandant; quæ verò odium, atque indignationem omnium ita in empiricos excitare debent, ut aquâ, et igne interdicantur.





DISPUTATIO PHILOSOPHICA

IN AEGUAE

CAUSIS GENERALIBUS

COLLARUM NUMERUM

ACCELERANTIBUS ET IMPEDIENTIBUS
